



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Libori[i], Cenomanensis Qvondam Episcopi: Nunc Paderbornensivm Tvtelaris Divi

[S.l.], [ca. 1650]

Capvt IX. Mulier quædam cæca miré sanatur. Obsessus sibi redditur.
Vtroq[ue] pede claudus restituitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45568

Mulier quadam cæca mirè sanatur. Obsessus sibi redditur. Vtroq; pede claudus restituitur.

II. Miraculum.

DVM hæc in templo agerentur, foris quoque aliud signum eadem contigit horâ. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conspectu populi, qui satis frequens pro foribus stabat, interuentu ipsius, cuius corpus interius ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quàm nouæ sanitatis omnes ferè, qui aderant, testes erant, adeò multitudinis animos res gesta commouit, vt omnes simul in laudem Dei, elatâ in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum Episcopo erant intrâ clausas Oratorij ianuas, ostentimque miraculo quolibet populû in tantæ gratulationis clamorem exci-

excitatum intelligentes, & ipsi pro viribus diuinę pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. Cumque suas vtrunque voces, qui intus & foris erant, recognoscerent, vno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupere planctum, vt vix quisquam cōtinere lachrymas posset. Sed Episcopus videns cantum diuinę laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursus Antiphonas & Psalmos Sanctorum glorię congruos cum Clero psallere: atque ita confusę multitudinis clamorem compescuit.

In ipso verò momento, priusquã illud sacratissimum corpus de ecclesiã, in qua sumptum est, efferretur, etiam tertio signo eius declarata sunt merita.

Namque vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à demōnio, & multis iam famã tantę miserię factus notissimus, quippe qui per multas ecclesias & monasteria

III. Miraculum.

D s du

ductus, nusquam suę remedium calamitatis accepit: tandem cum matre propriã veniens ad ecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotum manus habebatur, cōfestim ita purgatus est, vt nec signū quidem vltra talis pertulerit passionis. Tum vero Antistes, ne quam nuncijs memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud Corpus cum omni reuerentiã suis & Sacerdotum manibus deportari fecit in urbem, ad principalem suę sedis Ecclesiam, vt hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honorificè cōmendaret. Comitabantur verò, nec vsquam deerant, velut præsēntis Dei virtutis, sanctum suū mirificantis, indicia.

IV. Miraculum.

Nam vbi primū Ecclesię, quã diximus, illatum est, ingressus pariter quidam claudus vtroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis, mox vt caput ad orandum inclinavit, recepit integram sanitatem.

CA.